



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Historia Monasterij Figiacensis in diœcesi Cadurcensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*HISTORIA MONASTERII
Figiacensis in diœcesi Cadurcensi. Auctore
incognito, sed vetusto.*

Abbatiam igitur Fiacensem antiquitus in honore sancti Salvatoris constructam, & ab ipso omnipotente Domino per semetipsum mirabiliter consecratam, à Pippino verò Rege nobiliter perfectam, à Karolo quoque Imperatore thesauris & reliquiis honoratam, à plurimis etiam Abbatibus jam gubernatam, Aigmarus venerabilis vitæ Abbas penè destructam renovavit, & à tertio anno Ludovici Augusti usque ad quintum filij ejus Lotharij, triginta scilicet & duobus annis, regulariter tenuit. Hic primum Fiacensis Clericus, postmodum à Paschali Papa apud Romam in monachum & Abbatem benedictus, eò quòd in supradicto monasterio nullus remansisset monachus, eundem locum honoribus, thesauris, ac ædificiis plurimis decoravit: inter quæ etiam Crucifixi vultus magnas duas fecit imagines, utrasque opere argentario undique formatas, auro lapidibusque pretiosis adornatas; quarum majorem Fiaco posuit, minorem verò Conchis, ut per hoc cunctis claresceret locorum istorum quis cui præesse debuisset. Nam & eundem locum quandiu vixit tenuit. Obiit autem temporibus Raimundi Tolosani Comitis & Stephani Episcopi Caturcensis anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione decima quinta; sepultusque est in Fiaco, in cimiterio beatæ Mariæ. Hic verò Raimundus supradictus Comes primus per sacramentum fidelitatem Fiacensi Abbati juravit; & iste Stephanus, tam ipsius quàm omnium proborum ro-

gatu & consilio, post sedem suam primatum cun-
ctarum Caturcensium Ecclesiarum Fiacensi mona-
sterio dedit & secundam sedem esse constituit.

Post hunc Abbatem Girardus cognomento regu-
laris Fiacensem suscepit abbatiam tempore supradi-
cti Regis: qui licet parum, tamen quandiu vixit,
Conchensem Ecclesiam tenuit. Isto vero mortuo &
in podio sanctæ Mariæ Fiaco sepulto, Radulfus
ejusdem loci monachus curam pastorem suscepit,
& Karoli Regis filij Ludovici decimo septimo anno
ministerium suum implens, & ipse Conchas rexit,
sepultusque Fiaco quiescit. Hic de honore Fiacensis
monasterij tantum distribuisse invenitur ut uni soli,
scilicet seniori Calmontensi, sexaginta Ecclesias
cum quingentis mansis dederit, eo tantum tenore
ut ex eis nulli alio loco donationem faceret, & cum
necessitas posceret, solo jussu, absque lucro alio
temporali, bella Abbatis & suorum præliaretur.

Hic successit Adalardus, qui in monachatu &
abbatia in describendis libris fuit studiosissimus;
ideoque in multorum voluminum initio & fine inve-
nitur attitulatus. Hic temporibus Karoli Calvi &
fratris ejus Lotharij extitit; & ipse Conchensem lo-
cum regens, sepultus Fiaco quiescit.

Hunc secutus est Geraldus, in construendis ædifi-
ciis & in ampliando ac vestiendo honore strenuissi-
mus, Karoli stulti Regis temporibus. Hic, inter
alia quæ gessit, Hugonem monachum Fiacensem
& hortolanum, abstinentia & labore corpus pro-
prium affligentem; quasi in arctiori loco Conchas
transmisit, Prioremque esse præcepit. Dum vero
quadam die ipse Geraldus Conchas maneret, fami-
lia ipsius loci post vim acerrimam contentionem fa-
mulos Abbatis cæcos in tantam iram ipsius succendit
ut manè clamore audito dixerit se nunquam ampliùs
eundem locum visurum. Itaque sociis ab eodem loco

mox ut ascendit aspiciens retrò sequentibus se dixit Quàm stultus est qui tam spatiosum tamque delectabilem locum habet sicuti est Fiacus, & tam asperum atque vallibus concavum quærit sicut est hic locus. Meritò talia debent ei accidere. Cognita verò Prior irati Abbatis discessione, cum aliquibus fratribus eum subsequutus Fiaco reperit, & cum sua satisfactione justitiam suorum ad libitum præmisit. Abbas autem, quia jam præ senectute desipiscebatur, non solùm illius satisfactionem, sed & suorum admonitionem audire contempsit; hoc solùm dicens nunquam se ampliùs Conchas visurum, stultumque esse Fiacum habentem & Conchas requirentem, sine alia ratione & consilio abire permisit.

Hac igitur accepta occasione, qui eatenus Abbatibus Fiacensibus, utpote suis, cunctis scilicet superaddictis, & ante irruptionem barbarorum, Anastasio, Iohanni, & Stephano, ac aliis quampluribus subjacuerant, convalescentes viribus, substantiis, & numero, istum Hugonem loco Abbatis, quando vixit, tenuerunt, & deinceps à Fiacensibus separati, absque capite legitimo esse cœperunt.

Post hæc verò mortuo jam Geraldo & Fiaco sepulto, Fiacenses more solito Abbatem legitimum elegerunt Domnum Calstonem, ipsius loci monachum probissimum; qui à Benedicto Papa Romæ benedictus, sui monasterij ædificator extitit devotus, & inter cetera librum de cantu optimum secundùm morem Romanum Raimundum Aureliacensem Abbatem Fiaco describere fecit; in cujus initio, in capite versuum & fine quos de cantu isdem scriptor fecit, de eo testatur: *Calsto sui nomen solito testatur in alio*. Hic etiam capellam mirifico opere infra murum cepit ædificare, sicut in columnis ipsius Ecclesiæ continetur, ac usque ad dimidium perfecit. Sed & monasterium Fontense in honore sanctæ Mariæ semper

virginis construxit, facta donatione à Ramnolfo Fiaci nobilissimo ipsius loci domino, & à Benedicto Papa ac Stephano Caturcensi Episcopo scripto, monachosque Fiacenses ad seruitium Dei faciendum ibidem constituit. Fuit autem tempore minoris Lotharij Regis, mortuusque est ac sepultus Fiaci anno ab incarnatione Domini nongentesimo septuagesimo quarto, Indictione secunda, Epacta vicesima quinta, Concurrente IIII.

Post istum accepit regimen abbatiae Adacius temporibus supradicti Regis Lotharij & Ludovici, qui Blandinam accepit uxorem, proprii monasterij & ipse studiosissimus ædificator. Hic construxit membrum Ecclesie ante sanctum * Bibianum, sicut testantur versus in superliminare portæ ipsius descripti; mortuusque est ac sepultus, Romam pergens, apud sanctum Ægidium anno ab incarnatione Domini nongentesimo octuagesimo octavo, Indictione prima, Epacta nulla, Concurrente VII.

Huic nimirum successit Geraldus, multorum operum perfectior strenuissimus, Hugonis atque Roberti Regum temporibus; mortuusque est anno nono supradicti Roberti Regis, & Fiaci sepultus.

Istum secutus est, tempore prædicti Regis Roberti, Abbas Rogerius: qui cum multum honorem monasterij dederit Militibus, lignum crucis fecit ex auro & lapidibus; pergensque Hierosolymis, ultra non est reversus. Sub tali igitur spe prædicti loci monachis manentibus, quibusdam dicentibus quòd adhuc reversurus esset Rogerius, aliis verò quia jam esset mortuus, contigit ut Adalgerij, qui ex Salmatio Fiacensi abbatiam Conchensem dato magno pretio fuerat adeptus, sub occasione sepeliendi cuiusdam probissimi fratris Fiacensis cognomento Rosad Barnardi veniret Fiaci; completoque officio misit manum ad marsupium, & comparavit abbatiae mi-

* S. Bibiani
Episcopi Santonensis corpus servatur in Ecclesia Fiacensi.

misterium, non tamen de consilio omnium, ideoque in proximo debitum accepit retributionis præmium. Nam dum per abbatiam ambulare vellet, & cum quodam fratre ipsius monasterij Lautardo apud Fificellam primum hospitium suscepisset, mox ut ingressus est paratum sibi solarium, pede lapsio crureque fracto, qui equitando venerat, rediit in vanum. Sic itaque Adalgerius turpi caractere notatus, vix post aliquot menses aliquo modo recuperatus, Conchas reversus, Fiasco non comparuit ulterius.

Mox igitur fratres Fiacenses, illo adhuc vivente, Abbatem elegerunt nobilissimum Lautardum, ipsius monasterij monachum nutritum: qui cum diu abbatiam Fiacensem tempore Ainrici Regis rexisset, novissimè consilio omnium & Conchensem locum more suorum prædecessorum suscepit regendum; & utraque loca tenens per triennium, quorundam, ut fertur, malitia infirmatus, apud Conchas diem clausit ultimum. Et iste ex Fiacensibus Conchensem locum moderno tempore tenuit, ibique sepultus quiescit.

Huic Villermus Fiasco successit, qui in expugnandis inimicis diu victoriosus exitit. Hic de simonia accusatus, quæ pestis jam per ultimum Papam Leonem fuerat declarata, & per Gregorium VII. ejus successorem valde infecuta, quamvis invitus abbatiam dimisit, & pastori legitimo introducendo locum vacuum reliquit. Monachi verò Fiacenses Abbatem legitimum Domnum Hugonem Cluniensem eligentes, admonuerunt Conchenses ut abjecto suo simoniaco, more solito subderentur illorum Abbati legitimo. At illi indignati, non solum non sunt emendati, sed multa facientes, plurima mendacia invenientes, caput in caudam caudamque in caput erigere conantes, in tantum sunt pejorati ut more Iudæ osculo tradi & à proprio monasterio Fiacenses

eici fecerint, & Airardum Fiacensem Abbatem, cui subditi auctoritate apostolica fuerant, contra totius Christianitatis ritum à se projecerint.

CHRONICON FLORIANENSE.

- DCXV. Dagobertus junior in Francia regnat.
DCXXVI. Leodebodus Floriacensis monasterij fundator obiit.
DCLXXVIII. Pipinus major domus efficitur in Francia annis XXVII.
DCCVIII. Drogo Princeps Francorum obiit.
DCCIX. Primùm Pipinus perrexit in Alamaniam contra Vvilharium Ducem.
DCCXI. Childebertus Rex obiit.
DCCXIV. Pipinus obiit.
DCCXV. Dagobertus Rex obiit.
DCCXVI. Primùm pugnavit Carolus Dux contra Ratbodum ad Coloniam.
DCCXXXI. Beda Presbyter doctor Anglorum obiit.
DCCXLI. Carolus Princeps obiit.
DCCXLII. Carlomannus & Pipinus contra Hwaldum perrexerunt.
DCCCL. Pipinus electus est in Regem, & Hildericus tonsoratus.
DCCCLXIV. Pipinus Rex obiit. Carolus & Carlomannus regnum suscipiunt.
DCCCLXVI. Carlomannus obiit.
DCCCLXXVIII. Hludotvicus natus est.
DCCCIV. Alchuinus Abba obiit.
Anno incarnationis dominicæ DCCCVI. II. Non. Jun. luna XIII. signum crucis mirabili modo in luna apparuit feria v. prima aurora incipiente, quasi hoc modo. ✚